

Die Jesuiten in Freiburg und das Kollegium St. Michael

Texte

I.

Texte 1-4

Zur Gründung und den Anfängen des Kollegiums St. Michael

Die hier übersetzten Texte stammen aus folgender Textsammlung: O. Braunberger (Hg.), Beati Petri Canisii Societatis Jesu Epistulae et Acta, Vol. VII. (1572-1581), Freiburg i. Br. 1922 und Vol. VIII. (1581-1597), Freiburg i. Br. 1923 (Abkürzung: PCEA VII bzw. PCEA VIII). Die Interpunktion wurde hier teilweise angepasst.

Die textkritischen Anmerkungen aus Braunbergers Edition wurden hier und bei den folgenden Texten nicht übernommen.

1. Aus dem Brief des Canisius an Paul Hoffaeus (1525-1608).¹

Paul Hoffaeus war damals (1569-1581) Provinzial der Oberdeutschen Provinz (und damit sein direkter Nachfolger in diesem Amt),² vom 5. Januar 1581. In diesem Brief berichtet Canisius über sein Eintreffen in Freiburg, die Lage dort und die nun notwendigen Schritte.

[...] Cum autem huc R. T. venerit, facilem, ut spero, rationem inveniet aedes quasdam in usum collegii convertendas, sicut Senatus omnino decrevit. Tum licebit, cum primum voluerimus, quinque vel sex nostrorum hic alere, ex quibus optarim unum esse qui non procul abest in Collegio Camberiacensi Sabaudiae, patria Friburgensem et sacerdotem e nostris mihi commendatum, de quo isthic agi poterit cum Provinciae simul et Generale futuro. Egemus autem inprimis bono et sagaci coadiutore, qui domi et foris nobis serviat; magnam interim capimus molestiam ex ministro crasso et saeculari, quem ferre cogimur ob necessitatem, nullumque scriptorem possumus reperire. Domum nobis assignarunt amplam, quae sex nostris sufficere possit; partem suppellectilis e monasterio accepimus, mensam praebet vicina domus Parochi. In maiore templo quod est proximum concionamur, et Dei gratia satisfit auditoribus: brevi succedet Catechista. Humanitatem singularem Clerus et populus nobis exhibet: ac prorsus existimo, in Catholica Helvetia nihil esse cultius, nihil fertilius, nihil coeli salubritate, vini proventu et victus facilitate praestantius hoc Friburgo, Bernae quidem aemulatrice, sed super omnes fere ditionis huius civitates superiore, si innatam civium comitatem humanitatemque spectemus. Et quoniam in medio haereticorum saevissimorum laudem conservatae pietatis conservat hactenus, id quod miraculo adscribi potest, magnoque consensu clerus et populus religionis iura defendit, dignissima certo mihi videtur haec Resp. cui Pont. Max. non sine divino nutu tantopere faveat, et cuius adiuvandae curam et operam seriam suscipiat Societas nostra. Non est cur metuat R. T. de praescribendis conditionibus, de certo numero alendorum, de nostris privilegiis labefactandis. Tantum illis ab initio parcat neque multa postulet quaeso, partim ne prorsus Episcopo reclamare videatur, partim ne illorum firmet opinionem, qui Lucernae et Friburgi de Jesuitarum insatiabilitate, ut vocant, invidiose loquuntur. Satis erit illis, unam aut alteram

¹ PCEA VII Nr. 2082, 596-601; hier: 600-601.

² Zu ihm s. B. Schneider, «Hoffaeus, Paul», *Neue Deutsche Biographie* 9 (1972), 388, Onlineversion, <https://www.deutsche-biographie.de/pnd132539578.html#ndbcontent>.

classem hoc loco institui, quum collegii locus utcunque paratus fuerit. Postea dimidium collegium ex monasterii bonis alere non sit difficile. Quod si monasterii bona divendantur, id quod nobis facere semper licet, putant ingentem pecuniam, quae integro collegio sufficiat, colligi posse. Nec dubitant de Senatus et amicorum liberalitate, qui velint et possint res collegii et structuram omnem egregie promovere. Hoc rogo maxime, ut post pascha huc accedat R. T. et D. Nuntium post Pentecosten, uti credit, redeuntem praevertat adventu suo; ita enim commodius atque liberius cum Senatu, quae volet, transiget Christo duce. [...]

2. Kurzer Ausschnitt aus dem Brief an den Generaloberen Claudio Acquaviva vom 8. Juni 1581.³

Der Italiener Claudio Acquaviva (lateinisch: Claudius Aquaviva; 1543-1615) war ab Februar 1581 bis zu seinem Tod Generaloberer des Jesuitenordens. Der Ausschnitt berichtet vom Erfolg der religiösen Bildungstätigkeit in der einfachen Bevölkerung.

[...] Populi favor ac benevolentia illis non defuit: unde complures quaedam ad usum altaris et supellectilem domus pertinentia donaverunt. Crevit paulatim et numerus bonorum ad Missas eorum, et confessionis communionisque sacrae gratia venientium, ut faterentur et alii, frequentiore confitentium et communicantium numerum Friburgi non extitisse. Auctus praeterea numerus est auditorum, quum publicae conciones tum ordinarie tum extraordinarie ab illis instituerentur. Sed et Catechismus simplicioribus tradendum susceperunt. Nova interim sedilia ditiores parari iusserunt, ut rectius perciperent eos pro concione docentes. [...]

3. Ausschnitt aus dem Brief des Canisius an Giovanni Francesco Bonhomini von Anfang 1583.⁴

Zu Bonhomini und seiner Rolle bei der Kollegiumsgründung verweisen wir hier auf die Einleitung. Canisius berichtet ihm über den Erfolg des Kollegiums und der Seelsorge.

Nos Friburgi, quae nostri sunt muneris, tum in templo, tum in schola exequimur, et divinae bonitati merito gratias agimus, quae conatus nostrorum egregie prosperare dignatur. Admirantur omnes tam frequentem esse conventum scholasticorum, ut numerus eorum superet nostram, et amicorum expectationem; Augustana, et Luceriana schola pauciores habent discipulos, multoque plures ad futuram aetatem nobis promittuntur. Apud d. Nicolaum tam frequens fuit populus in accipienda sacra synaxi, ut nihil tale visum antea fuerit: ac ipsi Canonici nostrorum laborem praedicant. Friburgensis senatus et populus de empta scholae domo deque constituto collegio sibi non parum gratulantur, etsi antea multi parum huic instituto faverent [...]

4. Ausschnitt aus einem Brief des Canisius an Paul Hoffaeus von 1596.⁵

Paul Hoffaeus ist damals Visitor der oberdeutschen Provinz. Canisius berichtet über Probleme im Kollegium. Es wird deutlich, dass zum jesuitischen Bildungsideal des Canisius die korrekte aktive Verwendung des Lateinischen

³ PCEA VIII Nr. 2098, 19-24; hier: 21.

⁴ PCEA VIII Nr. 2165, 113-114; hier: 113.

⁵ PCEA VIII Nr. 2351, 419-420.

gehört. Dass es in diesem Punkt Defizite bei den in Freiburg lebenden Jesuiten gibt, ist ihm unübersehbar peinlich.⁶

De sacerdotibus nostris

Dubito, expediatne sacerdotes tam multos (sumus enim 11) in hoc ali collegio, qui parum exercentur in spiritualibus, uno et paucis exceptis, et alibi commodius ponerentur, ac utiliores esse fortasse possent minusque otiosi. [...]

Pauci loquuntur bene latine et accurate, sicut exigunt novae studiorum regulae, immo frequenter impingunt in regulas Grammaticorum, et offendunt exteros barbarie verborum, male consulentes et suae et Societatis honori.

Quidam relictis studiis nimium dediti sunt cantui, et studiosos ad cantum incitant, parum solliciti ut in literis et moribus proficiant studiosi. [...]

II.

Texte 5-6

Petrus Canisius als Freiburger Schriftsteller

Die Texte stammen aus dem folgenden Werk: Notae in evangelicas lectiones, quae per totum annum Dominicis diebus in Ecclesia Catholica recitantur. Opus ad pie meditandum ac simul ad precandum DEUM accomodatum, et nunc primum in lucem editum Authore R. P. Petro Canisio Societatis Iesu Doctore Theologo, Freiburg i. Ü., A. Gemperlin, 1591, hier: fol. 2 r^o; 2 v^o; 3 v^o-4r^o; 5 r^o; 5 v^o; und p. 715-716; 717-718.⁷

5. Aus dem Widmungsbrief (Epistula dedicatoria) an Peter Schneuwly,⁸ Generalvikar des Bischofs von Lausanne, und die übrigen Freiburger Kleriker.⁹

Admodum reverendis et eximiis viris, domino Petro Schneulino, in spiritualibus reverendissimi episcopi Lausannensis vicario, dominis Erhardo Torino praeposito aliisque Ecclesiae collegiatae Friburgi Helvetiorum canonicis ac reliquo ditionis Friburgensis clero, Petrus Canisius gratiam et pacem sincere a Iesu Christo precatur.

Evolutum est iam decennium, Viri colendi et Ecclesiastica dignitate spectabiles, quum ego primum in Friburgensem hanc urbem non sponte procurrans, sed autoritate maiorum impulsus perveni, ut me qualemcunque, seu operarium, seu ecclesiasten in ista excolenda

⁶ Vgl. dazu auch Rädle (2000), 166, der auch noch andere Zeugnisse aus Canisius Leben beibringt, die belegen, wie sehr dieser auf einen soliden lateinischen Stil hielt.

⁷ Link: <https://mdz-nbn-resolving.de/urn:nbn:de:bvb:12-bsb00022722-2>.

⁸ Der aus einer Freiburger Patrizierfamilie stammende Peter Schneuwly (ca. 1540-1597) wirkte ab 1566 als Chorherr und Prediger an St. Nikolaus, später Stiftspropst und hierauf Generalvikar des Bischofs von Lausanne. Er setzte sich massgeblich für die katholische Reform und besonders für ein katholisches Schulwesen ein; deshalb trug er auch entscheidend zur Berufung der Jesuiten nach Freiburg bei. Zu Schneuwly siehe z. B. auch M.-A. Heimo, «Schneuwly, Peter», *Historisches Lexikon der Schweiz*, Onlineversion vom 11.04.2013, übersetzt aus dem Französischen von E. Meier, <https://hls-dhs-dss.ch/de/articles/025906/2013-04-11/>; F. Heinemann, «Geschichte des Schul- und Bildungswesens im alten Freiburg bis zum 17. Jahrhundert», *Freiburger Geschichtsblätter* 2 (1895), 1-146, hier: 117-146; J. Vaucher, «Peter Schneuwly (1540-1597), Wegbereiter der Jesuiten», *Freiburger Geschichtsblätter* 74 (1997), 11-21.

⁹ fol. 2 r^o; 2 v^o; 3 v^o-4r^o; 5 r^o.

messe praestarem. Ita enim Deo Opt. Max. cuius est proprium in vineam suam operarios destinare, placuit, ut ego per legitimum ostium introductus, extremam aetatis meae quasi scaenam hic agerem, ac militiam quam vocant emeritam inter Helvetios obtinerem. [...]

Scio enim probe, qualem quantamque provinciam religionis ergo tot annis sustineatis, et quam graviter pro Catholicae fidei sincera confessione solidaque doctrina decertetis, praesertim tot monstris errorum ac haeresum undique grassantibus, quae misere convulsum, proh dolor, hunc Episcopatum magis magisque dilacerant. Vestra enim vigilantia, et simul incorrupti Senatus nostri autoritate constanti factum est (dicto absit invidia), ut multa Catholicorum millia, tanquam electae et dilectae reliquiae Israelis, hactenus in Friburgensi ditione conserventur, suaeque genua coram Baal et idolis aliis recens erectis non incurvent, sed potius instar senioris Tobiae, Dominum Deum Israel in sancta Hierusalem veroque eius templo sincere quaerant, invocent ac adorent. [...]

Tractamus ergo Evangelicas Notas in illis fundatas lectionibus, quae festis diebus in Catholicis templis proponi, et ex more tum antiquissimo, tum probatissimo explanari publice consueverunt. Quod argumentum sicut a mea professione non videtur alienum, ita vobis Orthodoxae doctrinae studiosis gratum, simulque ad pietatem populo instillandam non infrugiferum fore confido. Etenim hae Notae, nisi plane fallor, locos et capita suggerunt, quae cum saepe alias, tum diebus maxime Dominicis in mentem revocari, et hoc quidem pestilenti tempore ad morbos animorum sanandos vix unquam satis inculcari posse videntur. Quanquam non ignoro, multos et praestantes Theologos reperiri, qui de huiusmodi lectionibus Evangelicis multa utiliter et praeclare scripserunt, ut illa non solum a doctoribus sive concionatoribus, sed etiam ab auditoribus Catholicis merito perlegantur. Nos vero, qui talibus coryphaeis ac ducibus libenter cedimus, paulo aliam docendi rationem sequi et viam ab aliis nonnihil disparem ingredi decrevimus. Etenim quod aliis usitatum est, circa sensum quem vocant literalem non haeremus, sed historiam Evangelicam verborumque contextum anxie discutere ut plurimum supersedemus. Sat enim habemus, pauca et praecipua doctrinae salutaris capita ex propositis Evangeliorum lectionibus excerpere, eaque ad meditandum simul et precandum accommodare: ut si non doctis, saltem bonis et candidis Lectoribus pro nostra tenuitate consulamus, neque tam ad intellectum illustrandum, quam ad affectus religiose concitandos in medium aliquid adferamus. [...]

Datum Friburgi Helvetiorum, anno post Christum natum, M.D.XCI Mense Ianuario

6. Zum Hochfest Fronleichnam und seiner Oktav.¹⁰

In eximio festo venerabilis corporis Christi et per eius octavam

Evangelium hoc pars est longae difficilisque disputationis, quam Christus cum Capharnaitis habuit de carne sua edenda, sanguineque bibendo. Ubi sane scitu dignum est, duplicem Christi sumptionem, pure spiritualem nempe et sacramentalem constitui, et utramque in hoc capite Ioannis, sicut et in praesenti Evangelio intelligi oportere. Spiritualis est fides seu fiducia in meritum corporis et sanguinis Domini in cruce pro nobis oblatis: sacramentalis autem externa illa sub panis et vini speciebus Eucharistiae sacrae perceptio. Haec spiritualem sane sumptionem semper includit, et sine illa non prodest, quin etiam communicanti obest plurimum. Licet autem Patres partim de sacramentali, partim de spirituali sumptione verba Christi in hoc Evangelio interpretentur, tamen ab Hilario,

¹⁰ p. 715-716; 717-718.

Chrysostomo, Cyrillo ac aliis discedere tutum non est, qui sacramentalem illam sumptionem hic Christi verbis indicari et urgeri planissime tradunt. In quem sensum concedens Ecclesia hoc Evangelium utique nunc proponit, et cum praesente festo coniungit, quod sacramenti huius firmam confessionem simul et publicam venerationem si unquam alias, nunc imprimis a fidelibus omnibus exigit. Et sicut veterum Capharnaitarum, sic etiam murmurantium et blasphemantium hodie sacramentariorum ora potenter obturantur, cum Christi verba sic accipimus, quod caro sua non aenigmatice aut parabolice sed vere cibus, et sanguis eius potus existat, quandoquidem spiritualiter in nobis idem operentur, quod cibus et potus externus corporaliter in homine efficere solent. [...]

Alia est sane communio sacerdotum sacrificantium, qui Christi passionem in altari ex professo repraesentant, quod sine utraque specie fieri non potest: alia laicorum, quos nihil vetat, si ita praescribat Ecclesia, sub una sacramenti specie Christum integrum sumere, quemadmodum Chrysostomus, Augustinus aliique plures probabiliter censent, duos discipulos in Emaus sub panis dumtaxat specie communicasse. Errandi vero praebet ansam, quod calicis usum urgentes, Dei spiritu, qui extra veram Ecclesiam non est, destituti, de tanto fidei mysterio secundum carnem iudicent, plus aequo solliciti de bibitione. Nec vident illi Catholicos sub una specie communicantes, non modo corpus, sed simul sanguinem et animam ac divinitatem Christi percipere, atque in illis communicantibus impleri CHRISTI promissionem: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum.